


# MELISSA



EUROPAEA FOLIA SEXIES IN ANNO LATINE EDITA

Avenue de Tervueren, 76, Tervurenlaan - B-1040 BRUXELLIS. Tel. (02) 735 04 08  
Editor responsalis: Gaius LICOPPE - Compositrix: Francisca DERAEDT  
Bureau de dépôt: 1040 Bruxelles 4 - Afgifte kantoor: 1040 Brussel 4

## MELISSA AESTIVA



*Aestivo tempore omnes solent hortum suum colere. Scitisne artem botanicam esse omnium scientiarum Latinissimam?*

→ p. 3-5

*Inter ferias nobis plus temporis est meditandi de nostri temporis humanismo.*

→ p. 6-9

*Otiosis diebus etiam uti possumus ad valetudinem curandam, quae alias propter nimia officia saepe neglegitur.*

→ p. 10-12

*Tempore aestivo iucundum est novas res ambulando invenire, sicut mirum quoddam museum in Francogallia.*

→ p. 13-15

*Utinam latinistae essent tam Latini,  
quam sunt botanistae! In hac re mundus  
videtur esse inversus. Cfr p. 3-5*

# DE SOMNIO EUROPAEO

Occasione comitiorum Europaeorum electionisque novi Commissionis Europaeae praesidis multum et diversimode de Europa actum est. His eventis patet longe abesse ut res publica Europaea condatur. Diversarum nationum regentes de ipso scopo sententiam habent diversam et res politicas nationales magis curant quam Europaeas. Hoc non mirum est cum a suffragiis suae multitudinis pendeant. Ipsa multitudo non longe spectat et de proximis rebus cottidianisque difficultatibus praesertim curat, id quod ei obliucere dedecet.

Paulo ante comitia Europaea mihi contigit ut burgimagistrum cuiusdam Brabantici municipii convenirem et cum eo familiariter colloquerer. Interrogatus de proximis comitiis Europaeis, respondit se suosque municipes Europaeam administrationem nimis longinquam anticipitemque flocci facere.

Re vera non multitudo sed nonnulli egregii homines de nationibus Europaeis cuniendis cogitaverunt, qui somnium suum in politicorum mentem instillare conati sunt, ut in facta transformaretur. Nihil enim efficitur sine politicis, sed infeliciter alii alio tendunt: una ex parte non pauci censem rem publicam Europaeam omnibus fore emolumento, altera ex parte plerique nationalismos modo inepto colere non desinunt, cum hoc maxime prosit ad multitudinis suffragia adipiscenda. Nam multitudo non tendit ad altiora sed ad faciliora.

Ad quam discrepantium superandam una tantum est via, quam iam indicaverat Iohannes Monnet. Ille "Pater Europae", cum iam aetate proiectus Europae cunabula consideraret, confitebatur: "Unitas Europaea eget fundamento culturali". Infeliciter adhuc nihil factum est quo hoc fundamentum ampliaretur consolidareturque; e contrario patrimonium nostrum culturale tantum superficialiter colitur, vacuefactum sanguine suo i.e. ipsa lingua Latina.

Hoc absurdum videtur ei qui non comperit certamen de linguae Latinae usu in Europa iam diu ortum esse, cuius victores fuerunt nationalistae. Ab eis usus linguae Latinae abolitus est. Inde nationes paulatim factae sunt quasi vasa clausa, ubi vernaculae linguae "nationales" dictae ad omnia tractanda sufficiebant.

\*  
\* \*

Saepe lingua "nationalis" dicta non erat lingua omnium civium eiusdem rei publicae. In Francogallia, exempli gratia, reges iam diu provexerant dialectum suae originalis regionis, quae est Insula Franciae; post regnum abolitum ad cohaerentiam rei publicae confirmandam novi regentes censuerunt hanc dialectum, "nationalem" proclamatam, omnibus civibus omni modo imponendam esse, etiam vi.

Effectus post duo saecula est optimus; praeter recentes immigratos, vix quisquam est in Francogallia, qui linguam Francogallicam non habeat pro sermone patrio.

Effectus non ubique fuit tam bonus. In Hispania, exempli gratia, nunc resurgunt multae linguae regionales. Nam res paulatim mutatae sunt. Antea lingua quaedam "nationalis" proclamata omnibus civibus imponebatur ad cohaerentiam rei publicae confirmandam. Nunc, cum omnia a multitudinis suffragiis pendeant, res inversae sunt: omni genti licet suam propriam dialectum "linguam nationalem" proclamare, id quod politicis plebicolis (sive demagogis) causam praebet, qui regiones sui iuris instituant, quin etiam novas res publicas condant. Placet enim singulis gentibus commodior usus sui sermonis assueti; earum vanitatem sine verecundia fovent ei qui suffragia e blandita exspectant.

EIAM propter multitudinis adulatioinem politici pepererunt vocabulum, quod est "elitismus" (cfr Melissa n° 59 p. 3). Elitismum impugnare factum est necessitas politica; quam ob rem imprimis adulescentium institutio mutanda erat ne excultiorum selectio fieret; linguae classicae Latina et Graeca fuerunt praecipuae victimae huius mutationis.

Hoc maximo detimento est Europae cuniendae. Nam Europa tantum potest crescere in excultiorum hominum animo, qui patrimonium culturale commune sedule colant atque traditam lingua Europaeam - i.e. Latina - adhibere valeant.

Ipse diu nescivi usum linguae Latinae iam diu fuisse problema politicum in Europa atque sero comperi hoc problema adhuc manere.

Nonnulla eventa oculos meos aperuerunt. Imprimis impeditur ne emissiones radiophonicae Latinae instituantur, quales nunc sunt in Finnia. Praeterea nonnullos coetus habuimus cum televisionis diurnariis in Belgica et in Francogallia, qui de nostris actuositatibus Latinis aliquid in

[sequitur p. 16]



# DE LINGUA BOTANICA

REFERT FRANCISCA DERAEDT

Nonne mirum: botanistae Latiniores sunt quam philologi classici. Res patet ex libro qui mihi est in manu: William T. Stearn, *Botanical Latin. History, Grammar, Syntax, Terminology and Vocabulary*, ed. David & Charles (Brunel House, Newton Abbot, Devon), 1992, 546 p. (quarta editio operis anno 1966 primum editi).

Ingens opus, maximam partem Anglice conscriptum, quod oculis avidis evolvo. Nec oculis meis credere possum: nam nesciveram botanistas linguam Latinam servare vividam. «Is, qui vult linguam Latinam ignorare, nihil habet negotii cum studiis botanicis»: haec Iohannes Berkenhout anno 1789 affirmavit. Nostris quoque temporibus, more servato, lingua Latina botanistis est non solum gloriae, sed etiam obligationi.

Qua de causa res ita se habeant, duabus intellegitur rationibus:

1. nullus botanista, quamvis doctus sit, valet scire tria fere milia linguarum modernarum quibus plantae possint describi.
2. in nulla alia lingua res botanicae tam copioso vocabulario umquam tractatae sunt.


Sic factum est ut de conventu internationali in internationalem conventum mos paulatim fieret lex. Botanistae nunc habent suum Internationalem Codicem Botanicae Nomenclature, anno 1988 editum, ubi legitur hoc (art. 36): «Oportet omne nomen aut descriptio cuiusvis plantae - exceptis algis fossilibusque - sive Latine conscribatur, sive pertineat ad priorem descriptionem Latinam». Omnes botanistae totius orbis terrarum huic legi scrupulose parent.

Hoc mihi videtur inauditum: philologi, quibus lingua Latina est et materia et munus et propositum, fautores Latinitatis vivae habent ut ridiculos somniatores; at botanistae, quibus lingua Latina nihil est nisi instrumentum, vivam Latinitatem sibi lege imponunt. Uter sit magis ridiculus, iudicetis ipsi.

Multa vocabula botanica, quae hodie usurpari solent, iam leguntur in Plinii Historia Naturali, sed satis multum differt inter sensus antiquos et modernos; exempli gratia:

- *pistillum* apud Plinium est instrumentum, quo herbae in mortario terantur;
- *pollen* est farina tenuis.

Ceterum Plinius pertinet ad saeculum, quo rigor scientificus nondum omnino colitur; vocabulis alter sensus hic, alter illic datur.



*Quanta sit in rebus botanicis varietas, vix imaginari potestis. Sumamus exemplum foliorum (cfr etiam p. 4)*

## Foliorum formae

186, repandus; 187, angulatus; 188, sinuatus; 189, lacerus; 190, incisus; 191, laciniatus; 192, squarroso-laciatus; 193, lobatus; 194, fissus; 195, partitus; 196, palmatus; 197, pedatus; 198, digitatus; 199, pinnatifidus; 200, pectinatus (p. 323)


Sequuntur praesertim Isidori Hispalensis Origines sive Etymologiae libri - Isidorus videtur primus usus esse verbo, quod est «botanicum» - atque Alberti Magni (1193-1280) De Vegetalibus libri VII. In re botanica postea progrediuntur Rufinus, Valerius Cordus, Carolus Clusius, Marcellus Malpighi, Camerarius, multi alii clari nominis, denique maximus maximorum: Carolus Linnaeus (1707-1778).

Ilo tempore novae terrae inventae sunt atque in eis plurimae plantae ignotae, quibus nomen est dandum. Linnaeus est Suetus. Dum plantas describit, ne cogitat quidem de lingua Suetica adhibenda: quis enim extra patriam eum intellegere posset? Is, qui operibus suis internationalem auctoritatem vult afferre, sine ulla dubitatione scribit Latine. Itaque Linnaeus principia et methodos suas Latinis libris explicat, quibus tituli sunt: Fundamenta botanica (1736), Genera Plantarum (1737), Critica botanica (1737), Flora Lapponica (1737), Hortus Cliffortianus (1738), Philosophica Botanica (1751), Species Plantarum (1753).

Vocabulis antiquis mediaevalibusque, quae iam exstant, sensum imponit peculiarem, ut eorum usus fiat scientificus: «Situs Naturalissimus est, quod Calyx involvat Receptaculum, cui Corolla alternatim adnascitur; huic autem interius alternatim respondent Filamenta, quorum apicibus Antherae incumbunt; Centrum Receptaculi occupat Germen, cuius apici Stylus insidet, summo Stigma gerens. Hisce decidentibus Germen in Pericarpium crassescit, calyce sustentatum, Semina Receptaculo Fructus adnexa includens. Receptaculum Floris germini vel subnascitur, vel circumnascitur, vel supernascitur» (Fundamenta botanica).


Nova verba eodem animo condit, quo ipsi Romanivocabularium novare solebant. Linnaeus lingua Latina utitur simplici, scientifica, ambiguitatis experti. Eius successores ita pergunt ut lingua botanica paulatim fiat specifica.

In re botanica exstant plus



Foliorum dispositio

475, oppositus; 476, alternus; 477, stellatus (verticillatus foliis angustis); 478, verticillatus; 479, ternatus; 480, laxus; 484, imbricatus; 485, rosulatus; 487, fasciculatus; 488, distichus; 493, decussatus; 495, squarrosus (p. 338)



Foliorum venae

1, reticulatus; 2, brochidodromus; 3, 4, campodromus; 5, reticulatopinnatus; 6, 7, craspedromus; 8, 9, reticulatus, 10, brochidodromus; 11, campodromus; 12, radiatus; 13, brochidodromus (p. 524)



400.000 Latinarum descriptionum. Multa vocabula antiqua novam acceperunt significationem (sicut corolla, pileus, stigma, velum...); alia plurima antiquitus non exstabant (sicut acarodomatum, androesium, ovarium, ovulum...).

Quo ditius factum est vocabularium, eo simplicior reddita est grammatica. Lingua botanica sic facta est tam propria ut botanistae nunc fere soli sint, qui eam intellegant. Dubitatisne? Tunc legatis descriptionem, quam vobis subiunxi. Hic sermo non est depravatus, sed artificialis.

Qua de causa, classicis methodis ad rem addiscendam non sufficientibus, lingua botanica eget suo enchiridio. Quod enchiridion, opus dico Villelmi T. Stearn, pertinet ad omnes, quorum res botanica interest. Omnia insunt:

Cum mihi esset inter propositas descriptiones exemplum eligendum, videremque plantarum descriptiones saepe longas esse et intellectu difficiles, me lectorum miseruit atque hunc elegi satis facilem textum. Ecce descriptio fungi cuiusdam, qui est familiae myxomycetum. Num sit comestibilis nescio, sed eius descriptio famem non ita excitat...

**Comatricha solitaria** Nannenga-Bremekamp (Sternopylaceae)  
*Sporangia* solitaria vel subsolitaria, stipitata, erecta, parva, altitudine tota circ. 0.6 mm. *Hypothallus* inconspicuus vel nullus. *Stipes* sporangium altitudine circ. dimidia parte excedens, niger, opacus, basi fibrosus, in sporangium immersum. *Sporangium* globosum, 0.35 mm. diam., saturate brunneum; peridium evanescens; columella usque ad medium sporangium porrecta et ibi in ramos plures divisa. *Capillitium* sub-nigrum, laxius, e filamentis crassis et rigidis, dichotome ramificatis, vix reticulatim connectis compositum. *Sporae* per saturam saturate bruneae, lucem orientem versus visae griseo-bruneae, globosae, circ. 13  $\mu$  diam. in typo, in speciminibus aliis interdum 14-16 (18)  $\mu$  diam., minute verruculosae. *Plasmodium* hyalinum, incolor (N. E. Nannenga-Bremekamp in *Acta Bot. Neerland.*, 11: 31; 1962). (p. 170)

- declinationes: "leptochlamys, leptochlamydem, leptochlamydis, leptochlamydi, leptochlamyde"
- syntaxis: "corolla calye sesquilonigor"
- nomina geographica, ab "Aalandia" usque ad "Zittaviam Lusatorum"
- nomina colorum, quae numquam putavi esse tam varia

- verba Graeca in Latinum assumpta
- quomodo nova nomina sint fingenda descriptionesve conscribendae
- lexicon Latino-Anglicum et Anglico-Latinum
- signa, abbreviations, multa alia.

Opus denique admiratione dignissimum. ☺

VIRIDES : VENETI : CYANEI : LAZULINI		VIOLACEI : PURPUREI	
(GREENS) (BL-GNS) (GN-BLS) (BLUES)		(VIOLETS) (PURPLES)	
<i>Ridgway's Chromatic Scale:</i>			
33	35	37	39
35	41	43	45
37	43	45	47
41	47	49	51
43	49	51	53
<i>f</i>	<i>viridis</i> (GREEN)	<i>caeruleus</i> (SKY BLUE)	<i>subviolaceus</i> (PALE VIOLET)
<i>d</i>	<i>viridulus</i> (BLUISH GREEN)	<i>subazulinus</i> (PALE BLUE)	<i>malvaceus</i> (MAUVE)
<i>b</i>	<i>atroviridis</i> (DARK GREEN)	<i>azulinus</i> (BLUE)	<i>purpureus</i> (PURPLE)
<i>i</i>	<i>atroviridulus</i> (DK BLUISH GREEN)	<i>atrolazulinus</i> (DARK BLUE)	<i>atrovioletus</i> (DARK VIOLET)
<i>K</i>	<i>atrovirens</i> (DARK GREEN)	<i>atrolazulinus</i> (DARK BLUE)	<i>atropurpureus</i> (DARK PURPLE)
<i>m</i>	<i>atrovirens</i> (DARK BLUISH GREEN)	<i>lineus</i> (FLAX BLUE)	<i>lilacinus</i> (LILAC)
<i>f</i>	<i>prasinus</i> (LEEK GR'N)	<i>caeruleus</i> (SKY BLUE)	<i>lavendulus</i> (LAVENDER)
<i>d</i>	<i>griseo-viridis</i> (GREYISH GREEN)	<i>lineus</i> (FLAX BLUE)	<i>violaceus</i> (VIOLET)
<i>b</i>	<i>venetus</i> (BLUISH GREEN)	<i>lazulinus</i> (BLUE)	<i>lilacinus</i> (LILAC)
<i>i</i>	<i>atrovirens</i> (DARK BLUISH GREEN)	<i>atrolazulinus</i> (DARK BLUE)	<i>atrovioletus</i> (DARK VIOLET)
<i>K</i>	<i>atrovirens</i> (DARK BLUISH GREEN)	<i>atrolazulinus</i> (DARK BLUE)	<i>atropurpureus</i> (DARK PURPLE)
<i>m</i>	<i>atrovirens</i> (DARK BLUISH GREEN)	<i>atrolazulinus</i> (DARK BLUE)	<i>atropurpureus</i> (DARK PURPLE)
<i>f</i>	<i>prasinus</i> (LEEK GR'N)	<i>glaucus</i> (GLAUCOUS)	<i>lavendulus</i> (LAVENDER)
<i>d</i>	<i>griseo-viridis</i> (GREYISH GREEN)	<i>griseo-caeruleus</i> (GREYISH SKY BLUE)	<i>lilacinus</i> (LILAC)
<i>b</i>	<i>venetus</i> (BLUISH GREEN)	<i>griseo-lineus</i> (GREYISH FLAX BLUE)	<i>lilacinus</i> (LILAC)
<i>i</i>	<i>atrovirens</i> (DARK BLUISH GREEN)	<i>lazulinus</i> (BLUE)	<i>lilacinus</i> (LILAC)
<i>K</i>	<i>atrovirens</i> (DARK BLUISH GREEN)	<i>atrolazulinus</i> (DARK BLUE)	<i>lilacinus</i> (LILAC)
<i>m</i>	<i>atrovirens</i> (DARK BLUISH GREEN)	<i>atrolazulinus</i> (DARK BLUE)	<i>lilacinus</i> (LILAC)
<i>f</i>	<i>malachiteus</i> (MALACHITE GREEN)	<i>aerugineus</i> (VERDIGRIS)	<i>livido-violaceus</i> (LIVID VIOLET)
<i>d</i>	<i>malachiteus</i> (MALACHITE GREEN)	<i>caesius</i> (EYE BLUE)	<i>livido-purpureus</i> (LIVID PURPLE)
<i>b</i>	<i>malachiteus</i> (MALACHITE GREEN)	<i>griseo-violaceus</i> (GREYISH VIOLET)	<i>livido-purpureus</i> (LIVID PURPLE)
<i>i</i>	<i>malachiteus</i> (MALACHITE GREEN)	<i>atrolazulinus</i> (DARK BLUE)	<i>atrovioletus</i> (DARK VIOLET)
<i>K</i>	<i>malachiteus</i> (MALACHITE GREEN)	<i>atrolazulinus</i> (DARK BLUE)	<i>atrovioletus</i> (DARK VIOLET)
<i>m</i>	<i>malachiteus</i> (MALACHITE GREEN)	<i>atrolazulinus</i> (DARK BLUE)	<i>atrovioletus</i> (DARK VIOLET)

Haec solum est quarta pars tabulae, qua innumerabiles colores accuratissime explicantur (p. 235).

Animadvertisit exempli gratia quot insint genera coloris caerulei. Quorum insuper multa desunt in hac parva parte ostenta, sicut griseo-lazulinum, atroardesiacum, plumbeum, caeruleo-griseum, etc.

# LINGUA LATINA ET GRAECA

CONTINENTIS EUROPAEAE BONUM PECULIARE

SCRIPSIT CLETUS PAVANETTO

*Die 28 mensis Aprilis a. 1994 Bruxellis factus est internationalis conventus Unionis Latinae. Hanc associationem participant 29 nationes quibus lingua est Romanica. Propositor erat de institutione Latina et Graeca per totum diem disputare.*

*Cletus Pavanetto Vaticanus, cum invitatus esset ad acroasis in hac occasione data faciendam, verba sponte sua praeparavit Latina. Atres moderatoribus displicuit, qui eum rogaverunt ut loqueretur qualibet*

**O**mnibus tertium praestolantibus millennium a reparata hominum salute quaestio magni quidem ponderis venit disceptanda, et iure meritoque, cum nobis cordi sit validam navare operam ad veram civium novae Europae unitatem persequendam. Quid faciendum, qua ratione et a quibus praesertim adlaborandum, ut propria tribuatur Europaeis gentibus dignitas, pristinus instauretur humanitatis cultus, ad altiora aequalium nostrorum mentes ergantur?

Saepius aetate nostra optimus quisque animum demittit et contrahit, praesertim cum malae sententiae aures tamquam obtundunt: haud raro saeculum nostrum a recta via rerum cursus detorquet, saepissime vitae necessitas dominatur; quoddam servitutis iugum nobis adhuc imponitur, atque vita dono data in maximarum rerum consummationem difflit per neglegentiam perque summam animi levitatem.

Pro certo sane habeo remedium quaestioni nostrae enodandae inveniri posse in restitutione illius *formaementis*, quae totam penetravit Europam. Media quae dicitur Aetate atque insequentibus saeculis, quaeque fontem et originem deducit e communi Graeco et Latino patrimonio. Maiorum nostrorum sapientia, sublimibus locuples doctrinis et sententiis, etiam hominibus aetatis nostrae fieri potest itineris magistra atque pacis conciliatrix.

Apud omnes constat Graecam et Latinam linguam ratione quadam unum constituere quod attinet ad Europaeorum humanitatis cultum: Homeri candida narrata, philosophorum historicorumque Graecorum expositiones, oratorum atque praesertim tragicorum inquisitiones

*lingua, dum ne esset Latina.*

*Itaque Cletus Pavanetto lingua Francogallica verba fecit de lingua Latina. Et tamen concessum est ut parvum prooemium proferret Latinum... coram auditoribus stupentibus.*

*Melissa eum inter pausam adiit salutandum. Ei gratum fuit nobiscum Latine colloqui atque textum acroasis suae Latinae nobis tradidit edendum.*

animique perscrutationes, non Romanorum tantum mentes imbuerunt, sed etiamnum nostram definiunt agendi rationem. Recte sane affirmavit Horatius poeta:

*•Graecia capta ferum victorem cepit et artes intulit agresti Latio...•;*

sed pariter recte scripsit Rutilius ille Namatianus (*De Reditu suo*, 63-66):

*•Fecisti patriam diversis gentibus unam profuit iniustis te dominante capi*

*Dumque offers victimis proprii consortia iuris urbem fecisti quod prius orbis erat.*

Nonne etiam novi Europaeae continentis incolae hinc repete possunt ingenii fervorem animique inflammationem ad veram, diurnam, tutam constituendam cordium unitatem?

**M**ilitaris imperii aetate peracta, Roma potestatem retinuit non vi, sed lingua: huius potentiae magnitudinem et dignitatem claris *Elegantiarum Latinarum* paginis Laurentius Valla confirmavit. Artes vel poeticae vel rhetoricae apud Graecos et Romanos magnum pondus habuerunt: non solum utiles erant ad civiles quaestiones recta ratione solvendas, sed animos informabant, pulchrum cum bono et apto coniungebant, bonitatis vim et naturam in luce ponebant. Latini auctores easdem virtutes extulerunt quas apud philosophos et maxime apud Peripateticos Academicosque invenerunt, atque de ingenio et arte praeepta descripserunt. Hinc factum est ut apud Romanos maximam dignitatem gravitatemque haberet litterarum doctrina quae, Platonem Aristotelemque sequens, ad rerum principia convertebatur et de tota humanitate

agebat, ideam naturamque ut maximos fines definiebat ad animos corporaque effingenda adque decorum cum delectabili componendum. Hoc plane Romani scriptores a Graecis veluti patrimonium receperunt: hac de causa, ut fert Homerus, poetis exstabat domicilium in ipsa regia domo.

Aristophanes ille mentem suam excelsam aperiens, in fabula comica cui titulus est *Ranae* (v. 1008), haec percontatur: *Responde mihi, qua de causa licet habere admiratione dignum virum poetam?*, et respondebit: *Propter doctrinam et consilium, quia ipsi meliores efficiunt homines in civitatibus*. Aristophanes scilicet ait poetas admiratione esse dignos quia homines reddunt meliores; id est, vatis officium non ad hoc pertinet, ut delectet aures, sed ut animos recte instituat. Et re vera etiam Romani scriptores, prae manibus Graecorum auctorum opera praecipua cum haberent, quid novum effinxerunt quod sibi consentaneum esset quodque commutatam dissimilemque rerum condicionem aptius exprimeret, saepius dulci utile miscentes.

Haec, inter plurimas alias, est causa cur Europae novae non liceat tam altum venerandumque patrimonium repudiare vel neglegere.

**C**eterum linguae quae nunc a loquentibus scribentibusque usurpantur in occidentali Europa inter Oceanum Atlanticum et Britannicum, Fretum Gallicum (Calais), Arduennam Silvam, Rhenum fluvium, Alpes Raeticas Tridentinas Carnicas Iulias, oram Histricam usque ad Tarsaticam (Fiume), Hadriaticum Ionium Siculum Africum Balearicum Ibericum mare usque ad fretum Gaditanum (Gibraltar), praeterea sub Sarmaticis montibus (Karpaty) inter Danubium et Danastrum (Dnister), eas *Romanicas* omnino nuncupamus, quia omnes ab una communique lingua Romaniae, inter sextum et quintum decimum p.Ch.n. saeculum ortae sunt. Earum nonnullae ab Europaeis in Americam medium et meridianam atque in regiones quasdam, Africae praecipue, sed et Asiae et Oceaniae et Americae septentrionalis sunt illatae. Ortas dicimus *Romanicas* ab una communique Romaniae lingua. Quae quidem, non illas peperit velut mater, quod in linguis non cadit, sed velut flumen, quod post immensum cursum in plures ramos, canales, fluvios dividitur, quorum quisque per nova temporum locorumque spatia discurrit.

Communis lingua, quae in *Romanicas* quodammodo influit, *Latina* antiquitus dicta est a cognomine gentis, quae ineunte primo ante Chr. n. millenio sedem in Italia posuit inter Tiberim, Anienem ad Tibur, Albanum montem, Numiculum fluvium (Rio Torto), atque agrum ita definitum ab indigenis *Latium* vocari comperit. Eadem non solum

Latina, sed etiam *Romana* lingua a quibusdam dici copta est octavo ab Urbe condita saeculo.

**U**

nam eandemque linguam Latinam saeculis III, II et I a.Ch.n. ex oribus prolatam esse constat, sive artifex aut iurisconsultus eam adhibuerit, sive rusticus aut urbanus, sive poeta aut historiarum scriptor, sive quis in Italia aut in Francogallia, domi aut in castris. Unam, non quod non aliter consul aut bubulus, philosophus atque miles loquerentur, sed quia fundamenta linguae iuncta erant continuata cohaerentia. Romaniae divisiones non attulerunt finem Latinitatis, quia tunc praesertim initium habuit historia Romanicarum linguarum: his coniuncta et consociata a saeculis sexto et septimo usque ad quartum decimum exstitit Latinitas mediaevalis.

Dum potestates civiles infirmiores reddebantur atque res publica dilabebatur, urbs Roma facta est sedes Summorum Pontificum atque proiecta est ad fastigium regiminis universalis Ecclesiae. Pontificum Curia paulatim ita est adacta ut in locum civilis administrationis paene substitueretur. Officia Romanorum imperio moderando praeposita ad Ecclesiam sunt translata, et lingua officiorum imperialium servata est et exulta in Curia Romana. Ita peculiaris quidam evasit sermo Latinus, a communi Christianorum Latine loquendi scribendique genere nihil alienus. Hic sermo imitatione expressit scribendi genus, quod in epistulis et diplomatis imperatorum invenitur: ex quibus hausta sunt non solum multa vocabula administrationis civilis propria, sed etiam ornatus orationis, in primis numeri, quibus efficitur ut verba diligentissime elegantur et figurae oratoriae accuratissime collocentur.

Iam antea tamen, cum religio Christiana ex Oriente ad partes occidentales transvecta esset, Ecclesia Linguam Latinam usurpavit, et quidem provido consilio: cum enim Roma, ut omnium populorum potiretur imperio, a mente divina in egregia posita esset regione - unde viae stratae quoquo versus devertebantur - inde totum fere per orbem Romanum religio catholica est propagata.

Priores communitates Christianae sermone simplici et ad vulgarem loquendationem accedente utebantur; tantum saeculo III sermo Latinus Christianorum redditur politior. Scriptores Christiani contenderunt in primis ne ulla esset cum ethnicis societas, praesertim cum timerent ne scripta elegantiis ornata in discrimen inducerent ipsam fidem. Attamen, pace Constantini opera Ecclesiae redditia, sermo Latinus Christianus sat elegans et expolitus invaluit, atque scriptores amplius in usum conferre non dubitaverunt ethnicorum artem dicendi scribendique, omni tamen reiecto errore et licentia. Arnobius, Tertullianus, Hilarius Pictaviensis, Marius



Victorinus, Ambrosius, Augustinus, Hieronymus, Paulinus Nolanus, maxime vero Lactantius... dicendi scribendique generi expolito favebant.

Saeculo V Curia Summi Pontificis iam erat firmiter constituta: scribae diuturna exercitatione discebant orationem ornatam et numerosam, atque stilos Curiae Romanae factus est sermo quidam peculiarius.

**P**aulatim tamen litterae iacere coeperunt: novis enim inductis condicionibus socialibus et soloecismis e sermone Celto et Germanico receptis, sermo elegans et comptus evanuit; Ecclesia barbaros ad fidem Christianam convertit, sed simul eius lingua est offuscata et corrupta; lingua Latina concinna solum quibusdam in monasteriis est servata.

Saeculo IX Ioannes diaconus Neapolitanus et Ioannes diaconus Romanus sermonis profluentis et numerose cadentis exstiterunt magistri, sed stilos Romanae Curiae perrexit esse minus perfectus.

Reflorescentibus antiquis litteris et artibus aetas incepit quae a renatis litteris vel ab humanitate appellatur. Litterati humanistae respuebant et sermonem Latinum communem et etiam elegantiorum stylum Curiae Romanae numeris prosae orationis astrictum. Hinc factum est ut lingua Latina, quae media aetate quoddam vivum fuerat, ab humanistis, qui se novam vim ei indere putabant, re vera ad perniciem reduceretur, et amplior subsequeretur usus sermonum vulgarium.

Latinitas humanistarum etiam in Curiam Romanam penetravit, ubi plures clari nominis humanistae munere scribae fungebantur. Ad optimum stylum Latinum assequendum, in Seminariis et scholis religiosorum veteres auctores, praesertim ethnici, a discipulis erant legendi. In documentis pontificiis nitor splendet sermonis mundi et elegantis, praestantium auctorum exemplis conformati.

A temporibus Francogallicae Rerum Mutationis, cum studium propriae nationis amplificandae apud occidentales populos exarsisset, lingua Latina e vita publica sensim coepit expelli. Saeculo XIX nonnulli viri eruditi egregiam operam dederunt studio tamen Latinae linguae, non usui; qui usus tantum in Ecclesia, maxime in sacra Liturgia et in altioribus doctrinarum sedibus, vigere non desiit.

Res post Concilium Vaticanum II mutari coeperunt: nam, propter utilitates pastorales, sermones vulgares in sacram Liturgiam sunt induiti. Insuper, progrediens technicarum artium momentum, et habitus mentis, quo omnia paene ad materiam et vitae commoda referuntur, effecerunt et efficiunt ut lingua Latina rarius adhibeatur. Nihilominus Summi Pontifices recentioris aetatis pondus linguae Latinae clericis

inculcare non dubitarunt, atque in novo Iuris Canonici codice hoc praescribitur: *Alumni in sortem Domini vocati non tantum accurate linguam patriam edoceantur, sed etiam linguam Latinam calleant* (can. 249); hoc praesertim quia unicuique sacerdoti et universo cuivis homini litteris exculto, ut Cicero monet, *tam pulchrum est scire Latine quam turpe nescire*.

Latinae linguae plurimis e scholis electio atque gravis acrimonia qua saepius hic illic appetitur, efficit ut decem circiter ante annos, Berolini in urbe, Ministri Europaei cultui humano apparando praepositi profiterentur: *Rogamus Civitates socias atque etiam Instituta ad quae res spectat:*

- *ut hereditatem culturalem servent vimque creatricem promoveant;*
  - *ut facultates hominum excolant;*
  - *ut libertatem in tuto collocent;*
  - *ut solidam hominum coniunctionem confirment;*
- HAEC PROPOSITA HABEMUS LIBERTATIS AC SPEI PIGNORA.**

Per placet quidem doctorum virorum experiri voluntatem eo intentam, ut vera hauriatur populorum Europaeorum animi hereditas quae, ut nemo non videt, in Litterarum Latinarum monumentis est recondita.

**L**iceat nunc referre etiam quae clarissimus vir Ioannes Baptista Pighi bo. me. scripsit, sub conclusione suarum scholarum de Latinae linguae historia:  
*Huic autem Latinae linguae perennitati utrum nova, quae nunc proprius abesse prospicitur, humanarum rerum condicio finemne factura sit an longius proroget et quoisque, divinare nemo potest. Certe Latinitas unam quandam, eamque excelsam, cultus humanitatisque formam, sive suis ipsa opibus sive deinceps linguis ex se natis alienigenisque, quas ipsa rexisset omnes atque docuisse, interpretata est. Quod si nunc excultissimos populos, propter maleficiarum officiorumque conscientiam, sui paenitet, aliorum miseret, id tamen paenitentes misericordesque viderint, num amplissimi et eius quidem irreparabilis patrimonii iactura ad humani generis utilitatem augendam, libertatem servandam, dignitatem tuendam valeat, ac non potius ad egestatem inter omnes communicandam, servitutem omnibus imponendam, feritatem omnium suscitandam* (Io. B. Pighi, *Historia linguae Latinae*, Casali apud Montorium Veronense, Kal. Dec. MCMLXVIII, pag. 126).

Ad linguas Graecam et Latinam, classicas et Christianas, alacriore animo et intentiore mente fovendas, Paulus VI fe.re., Constitutione Apostolica *Studia Latinitatis* diei XXII mensis Februarii anno MCMLXIV, iussit condi Romae, apud Studiorum Universitatem Salesianam, *Pontificium Institutum Altioris Latinitatis*, quod aliquot post annos evectum est ad *Facultatem Litterarum Christianarum* et



Classicarum, eidemque uni inter Pontificias Studiorum Universitates per orbem terrarum munus concreditum est conferendi gradus academicos. Nonnullae apud hanc Facultatem disciplinae Latina tantum lingua traduntur.

Idem Summus Pontifex, chirographo pontificio ROMANI SERMONIS, constituit in Civitate Vaticana OPUS FUNDATUM LATINITAS, a quo haec vindicantur proposita:

- studium linguae et litterarum Latinarum classicarum, quas dicunt, in quibus etiam opera praestantium scriptorum christianorum numerantur, necnon Latinitatis medii aevi;
- usus et promotio linguae Latinae sive in epistularum commercio sive in edendis libris Latine conscriptis, maxime ad Ecclesiae cultum

ingenii pertinentibus, sive in catholicis studiorum Universitatibus et in Seminariis.

Haec sunt incepta:

- Commentarii periodici «Latinitas»
- Lexicon recentis Latinitatis
- Librorum Latinorum editio
- Scholae et acroases de lingua Latina
- Certamen Vaticanum
- Feriae Latinae.


Quod attinet ad scholas et acroases de lingua Latina, libenti quidem animo significo unoquoque anno duo instrui apud Curiam Riariam (Romae) intentiva curricula de lingua Graeca et Latina, verno tempore et autumnali, atque colloquia et exercitationes, Apostolica Sede favente, lingua Latina induci. &

## MIRABILIA...

*Amicus noster Thomas Pekkanen ad nos misit miram symbolam excerptam ex actis diurnis q.t. «The San Diego Union-Tribune» (9/6/94). Agitur de quodam iuveni magistro linguae Latinae, qui docet in Americana urbe Toledo (in Ohio): ei nuper interdictum est munere quod linguae mortuae imponeret nimium... vitae. Inspector enim iudicavit sententias, quae discipulis proponebantur, esse omnino indecentes. Hae praesertim vocantur in crimen: «In dentibus anticis frustum magnum spinaciae habes» atque «Braccae tuae aperiuntur». Diurnarius addit magistrum alias sententias etiam proposuisse, quas publicare dedecet.*

*Quibus reprehensionibus iuvenis magister respondit multo peiora cottidie audiri in omnibus viis. Nihilominus munus perdidit propter Latinitatem nimis vivam! Einunc in otio tempus est cogitandi de Latinitate, qualis sit colenda...*


\*  
\* \* \*



*Verus latinista ubique solet circumspicere, num quid Latini inveniat. Talis est sodalis noster rev. Pater I.M. Lecomte, qui subiunctum photographema ad nos misit, factum in via quadam Bruxellensi. Si quando mihi erit cattus, adeum curandum sine dubio illum adibo medicum veterinarium!*

# DE MEDICINA OCULARIA

SCRIPSIT GAIUS LICOPPE



Tres huius anni primos menses Ledone Salinario (v. Lons-le Saunier) in Sequania (v. Franche-Comté, in orientali Francogalliae parte) habita est expositio c.t. «De oculis sanandis tempore Romanorum» (Fr. «L'oeil dans l'Antiquité romaine»). Qua occasione data mense Februario convenerunt et ocularii medici et archaeologi qui sua quisque scientia aliquid conferrent ad oculariam medicinam antiquam melius intellegendam.

Medicamenta ocularia iam nota erant apud antiquos Aegyptios, quorum medici praescribebant collyria liquida vel glutinosa vel pulvrea et balnea ocularia. Ad quae conficienda adhibebantur substantiae minerales, lapides semipretiosi, substantiae animales necnon excrements et substantiae vegetales inter quas sucus papaveris et opobalsamum.


Hae formulae a medicis Hippocraticis et Alexandrinis as-

sumptae auctaeque in usu sunt apud Romanos a secundo a.C.n. saeculo. Romanorum prima scripta medica nobis nota primo saeculo p.C.n. edita sunt, quibus titulus «De medicina» auctore A. Cornelio Celso. Secundo saeculo p.C.n. editum est opus c.t. «De compositione medicamentorum» Galeno auctore. Quem tractatum magni aestimaverunt medici usque ad XVII<sup>o</sup> saeculum.

In occidentalibus tamen Europae regionibus, post imperium Romanum dirutum, ocularia scientia in oblivionem venit. Paulatim recuperata est mediaevalibus temporibus Arabum intercessu, qui ipsi eam a Byzantinis sibi assumpserant. Exente XIX<sup>o</sup> saeculo in indice medicamentorum cui titulus «L'Officine» (1898, auctore Francogallo Dorvaul) adhuc inveniuntur 55 formulae collyriorum antiquis simillimae.

Singulari testimonio medicinae oculariae nobis sunt aliquot 300 sigilla a XVII<sup>o</sup> saeculo ubique imperii Romani inventa, in Gallia tamen praesertim. Sunt lapides tenues quadratique quorum in angustioribus lateribus inscriptiones sunt incisae. Sigilli exemplum iuxta ostenditur ubi imprimis legitur nomen possessoris: C CASSI CENSORIS; in alio latere formula collyrii:

DIALEPIDOS<sup>1</sup> AD ASPRITUD(inem) SPHERION AD CLAR(itudinem) DIAMISUS<sup>2</sup> AD ASPRITU(dinem) (exhibetur in museo archaeologico Ledonis Salinarii).



Exstat index collyriorum in sigillis inscriptorum, conscriptus a Francogallo Espérandieu; 105 collecta sunt, ubi inter alia vocabula leguntur haec: DIARHODON (inest rosa); DIACERATO (inest cornu); DIACHOLES (inest bilis). Ex hoc indice patet momentum linguae Graecae in rebus medicis.

Medici Romani non solum medicamenta praescribebant sed oculos etiam manu curabant. Oculi morbus, qui manu praincipie curabatur,



*Ab antiquis usque ad nostra fere tempora medicina ocularia mansit immutata, ut patet ex his imaginibus, quibus ostenditur curatio cataractae: a sinistris, tempore Renascentiae; a dextris, saeculo praeterito.*

vocatur «cataracta» ab hodiernis medicis, a Romanis «suffusio»; antiqui enim putabant quendam humorem non translucidum post pupillam suffundi.

Recentiores medici, qui oculi fabricam sive anatomiam (ut nunc dicitur) accuratius noverunt, sciunt hunc morbum ad hanc solam oculi partem pertinere quae vocatur «lens». Cataractam hunc morbum vocaverunt, quia lens opaca facta (i.e. iam non translucida) lucem impedit ne oculum intret, fere eodem modo quo cataracta fluvii aquas retinet.

Ocularii chirurgi nostri saeculi cataractam curabant lentem ex oculo extrahendo; perspicillum postea substituebatur. His recentioribus annis ocularii valent, extracta lente, lentem artificiosam in eius ipsum locum substituere, i.e. intra oculi bulbum; inde fit ut perspicillum postea non sit omnino necessarium.

Mirandum est ocularios iam antiquitus cataractam chirurgicaliter curavisse. Qualis fuerit eorum modus operandi, non est accurate notum. Antiquissimum servatum testimonium cataractae curationis afferit philosophus stoicus Chrysippus, qui tertio saeculo a.C.n. Athenis vixit; testimonium quidem brevissimum sine modi operandi descriptione. Postea, Tiberio imperante, Aulus Cornelius Celsus operandi modum abunde enarrat: lens opaca facta acu demittitur sub pupillae libellam, ita ut lux ad intimum oculum iterum pervenire possit. Scitu dignum est eundem operandi modum paene usque ad nostra tempora in nostris regionibus adhibitum esse atque adhuc vigere in nonnullis orbis terrarum retardatis regionibus. Eius tamen efficacitas parva est; praeterea semper imminet periculum inflammationis et fieri potest ut submissa lens sua sponte iterum ascendat.

Antiqui subtiliorem operandi modum iam invenerant, quo cavae acus adhibebantur ad humorem opacum exsugendum. Primus nobis notus qui de cavarum acuum usu mentionem faciat est Graecus chirurgus Antyllos Alexandrinus secundi vel tertii p.C.n. saeculi. Infeliciter eius tractatus nobis tantum notus est per incertam translationem Arabicam.


Quare multum iuvat instrumenta antiqua invenire, praesertim si sunt in contextu e quo patet eorum usus. Theca recenter inventa est cum everreretur Araris alveus. Mirum in modum bene servata continebat instrumenta cuiusdam ocularii primi vel secundi saeculi p.C.n. (cfr imaginem subiunctam).

Cavarum acuum fabricatio tunc temporis difficilis erat. Praeterea solae seniles cataractae hac methodo curari poterant, cum essent satis liquidae quae exsugi possent. His accedit quod antiqui putabant humorem opacum non in ipsa lente inesse sed ante eam. Non mirum ergo si huius chirurgicae operationis exitus saepissime pessimus erat. Quae cum ita essent Romani hunc operandi modum reliquerunt; solam lentis demissionem acubus plenis operari perrexerunt.

... Saepe cum cogito de vita, qualis fuerit temporibus antiquis, censeo me non iniucunde victurum fuisse si Ciceronis aequalis fuisse... et necessario apud fortunatos crevissem (sed hoc etiam nostris temporibus valet). Raeda certe multo lentius vectus essem, sed fortasse eo melius frui potuissem prospectu. Multo pauciores nuntios accepissem, sed tot nobis nunc afferuntur ut vix distinguere possimus nugas a maioris momenti nuntiis. Multo rariora spectacula vidisem, sed nausea non pressus essem propter inanum programmatum televisifororum ubertatem. Fortasse, Apicio monente, cibos delectabiles comedissem. Una tamen res mihi timenda videtur: medicina antiqua, quae - oportet hoc in mente habeamus - paene usque ad medium vicesimum saeculum duravit. Medicina "moderna", vix quinquaginta annos nata, tot beneficia hominibus attulit ut merito haberetur ut maximum nostri temporis bonum. Ego quidem sine eius auxilio puer iam mortuus essem... ☹

<sup>1</sup> dialepidos est medicamentum cui insunt particulae cupri.

<sup>2</sup> diamisus (rectius «diamisyos»): incertum est e quo constet μουσ.



*Theca aenea in alveo Araris inventa. Habet formam cylindri atque continet quinque aeneas acus argenteis cuprinisque filis ornatas. Cuncta sunt optime servata, quamquam per multa saecula manserunt aqua submersa. Res maxime miranda: tertia et quinta acus, quae a superiore imaginis margine numerantur, sunt cavae atque stilo praeditae per lumen insinuato. Ergo ocularius ad quem pertinebat haec theca videtur cataractam curavisse methodo ab Antyllo Alexandrino relata.*

# DE MALEFICIS, DE STRIGIBUS, DE PYTHONICIS MULIERIBUS

INQUISIVIT FRANCISCA DERAEDT



regionis adeundae, noli hanc mirificam lustrationem praetermittere.

Museum institutum est ante unum annum in horreo villae cuiusdam rusticae. Res est optime facta: audax lustrator, qui ianuam audet tangere, intrat alium mundum invitaturque ad aeva transeunda, ad timendum, ad mirabilia spectanda. Clamores, fulgura, soni, personae terribiles eum exspectant atque ducunt per maleficorum historiam.

Occasio ibi etiam datur meditandi de crudelitate inquisitorum qui, sub praetextu religionis, innumeros occiderunt insontes.


\*  
\* \*

Historia maleficorum praesertim pertinet ad Inquisitionem. Certe antea iam exstiterunt, sed post Inquisitionem institutam (officialiter a Papa Gregorio IX anno 1231) eo magis nefarii habentur, quod putantur cum diabolo pactum fecisse. Postea tot malefici sunt reperti flammisque dediti, ut potius nimiam inquisitorum sedulitatem suspicer quam illorum miserorum diabolicas potestates.


Sola pactio diabolica, cuius textus adhuc servetur, est Urbani Grandier parochi Losdunensis (v. Loudun in Francogallia). Qui parochus videtur sanctimoniales urbis suae nimis ardenter amavisse; accusatus quod eas diabolo tradidisset, mutuo (sed falso) pacto convictus, anno 1634 capite damnatus est... propter nimium seminarum amorem.

In Biturigo (v. Berry) pulcherrima Francogalliae provincia habitat sodalis noster Abbas Dominicus Pillet. Qui, cum nobis nuper enumeraret res in regione sua visu dignas, inter alia memoravit museum maleficorum<sup>1</sup>. Viator, si tibi est occasio illius

Ecce epistula, qua parochus Grandier se diabolo dicat...



atque epistula, qua diabolus hanc ditionem accipit; ut decet, diabolus scribit Latine, inverso modo atque a dextra ad sinistram, id quod dicitur esse signum contemptionis.



Ceterum animadvertisendum est plerosque maleficos potius esse maleficas. Aspicite primam imaginem: iamne vidistis virum equitantem super

scopas? Jacobus Sprengerus et Henricus Institor auctores Mallei Maleficarum (XV<sup>o</sup> saec.) - qui liber est ut ita dicam Inquisitionis enchiridion - rem longe lateque explicant; nonnullas sententias ex eorum opere excerpti, quibus lectrices nostrae sine dubio gaudebunt:

- *Prima causa est, quia pronae sunt ad credendum...*
- *Quia lubricam habent linguam...*
- *Propter primam praevericatricem mulierem, scilicet Ewam, et imitatrices eius...*
- *Quia adhuc modernis temporibus haec perfidia amplius in mulieribus quam in viris invenitur, ut ipsa experientia docet...*
- *Qui etiam defectus notatur in formatione primae mulieris, cum de costa curva formata fuit, id est de costa pectoris, quae est torta et quasi contraria viro. Ex quo defectu etiam procedit, quod cum sit animal imperfectum, semper decipit...*
- *Nam dicit Cato: Instruit insidias lacrimis dum femina plorat...*
- *Quaeramus, inveniemus fere omnia mundi regna propter mulieres fuisse eversa...*
- *Occidunt quidem, quia ex marsupio evacuant, vires auferunt et Deum perdere cogunt...*
- *Quia iam capiuntur homines non solum per carnalia desideria, eas videndo et audiendo, cum earum facies sit ventus urens et vox serpentis sibilus...*
- *Omnia per carnalem concupiscentiam, quae quia in eis est insatiabilis...*
- ... *Unde et consequenter haeresis dicenda est non maleficorum, sed maleficarum, ut a potiori fiat denominatio.*

(Malleus Maleficarum p. 40-46 passim)

Si rem perspectam habeo, auctoribus videtur fuisse quaedam difficultas mulieraria. Infeliciter propter eorum problema psychologicum innumerae mulieres per multa saecula atrociter necatae sunt.

Quorum autem facinorum accusabantur? Omnium. Quod equitarentur super scopas. Quod concumberent cum diabolo. Quod infantes in utero matrum occiderent. Quod morbos inimicis suis inferrent. Quod in cattos mutarentur. Quod grandines et tonitrua provocarent. Quod facies hominum in alias formas mutarent. Et multa praetermitto.

Ad fatendum quomodo ducebantur? Facile: per torturam. Si postea dubium manebat, probatio quaedam erat necessaria. Varii modi exstabant explorandi, utrum mulier esset malefica necne - nam variatio delectat -; inter quos hic erat maxime efficax: probationem dico aquae. Itaque misera mulier demergitur sive in puteum sive in flumen

sive in lacum. Unum est de duobus: aut fluitat aut supprimitur. Si fluitat, est malefica (nam diabolus maleficas fecit satis leves ut per aera possent itinerari) atque comburetur; si supprimitur, est insons, sed in undis vitam amittit. Utcumque res se habet, non erit salva.

Itaque maleficae possunt suis scopis uti ad volandum. Si quis vestrum de hac re audet dubitare, legat hoc testimonium allatum a Rev. Patre Bartholomaeo de Spina:



Quidam Andreas Magnanus Bergomensis, habitator Ferrariae, hac hieme mihi narravit, quod a quodam suo affine Venetiis commorante cognovit hoc quod contigit superioribus annis, quandam, inquam, puellam, quae cum matre Bergomi morabatur, inventam fuisse nocte Venetiis in thalamo dicti sui affinis. Quam mane repartam nudam, recognitamque, quia consobrina erat, cum interrogassent quomodo illuc venisset, aut ibi esset, et quare: plorans illa, postquam vestita ab eis fuit, haec quae infero enarravit, dicens:

*Hac nocte, cum in lecto vigilarem, vidi matrem meam, quae me dormire putabat, surgentem de lecto et exutam camisia se quodam unguento, quod ex vasculo assumpsit, perungentem corpus. Et statim in assumpto baculo quodam ibi praeparato, in modum equitantis ascendens, extra fenestram deportata est et a me nequaquam ex tunc ibi visa.*

*Cumque ipsa quoque de lecto surgens, meum, ut mater fecerat, perunxissem corpus, extra fenestram educta, statim in hunc locum deportata sum, ubi matrem puero huic lecto decubenti*

insidiantem vidi. Ex quo ego territa, cum matrem etiam ob meum adventum conturbatam vidi sem et comminante, nomen Domini Iesu et beatae Virginis invocavi, et ex tunc matrem non vidi, et ego hic nuda solaque remansi.

His auditis a puella, scripsit omnia haec affinis ille, narravit P. Inquisitori Bergomensi, a quo capta mulier et tormentis exposita cuncta confessa est. Et addit se a daemone plus quam quinquagesies deportatam, ut puerum illum, filium praedicti affinis, occideret; sed tamen praevaluerat numquam, eo, quod semper eum invenerit signo crucis et sanctis orationibus a parentibus bene munitum.

(R.P. Bartholomaei de Spina Quaestio de Strigibus, in tomo secundo Mallei Maleficarum, Lugduni 1669.)

Ceterum illis iam temporibus homines magis rationabiles in dubium vocaverunt non solum has fabulas, sed etiam efficacitatem torturae. Talis fuit Archidux Sigismundus Austriae, cui Ulricus Molitor ad quaestionem tractandam anno 1489 dedicavit opus in modum dialogi conscriptum; in quo Molitor singit se Sigismundo respondere una cum Conrado quodam Schak:



NUM STRIGAE TONITRUA ET GRANDINES FACERE SCIANT.

CONRADUS - Apud philosophum tritum est sermone proverbium, ut fama quam omnes famant non omnino perdatatur. Fama autem communis est quod ipsae strigae tonitrua et grandines fecerint, magna que damna segetibus et hominibus intulerint. Ex

confessione quoque earum in tortura facta, se talia fecisse, et modum faciendi tradidisse compertum est.

SIGISMUNDUS - At ego nudae famae non intendo. Facile enim dictum sequitur vulgus, nec confessione tortuali satiabor, cum metu tormentorum quis inducitur quandoque ad confitendum id quod in rerum natura non est. Verum ea quae oculis non conspeximus, auctoritate vel concludenti ratione percipere desideramus. Nam recta disputatio auctoritate et ratione concluditur.

ULRICUS - Projecto experientia in dicendis causis contemptibilis non est, cum experientia dicatur esse rerum magistra (...).

SIGISMUNDUS - Ad ostendendum igitur, quod maleficae mulieres nihil sciant, me istud monet videlicet. Nam si talia istae maledictae mulieres scirent et efficere possent, non esset opus Principibus temporibus belli clientulos militesque conducere qui in terras hostium irruerent agrosque devastarent, incendis domos et villas concremarent. Verum satis esset talem mulierem pythonicam advocare, eidemque salvum conductum addicere et hortari, quatenus super hostium terras talis maledicta mulier grandines, fulmina et tempestates provocaret, ut sic hostium terram periclitari moliretur. Etenim quia videmus, quod ipsae talia facere non possunt, etiam si vellent, ad faciendumque etiamsi a Principibus (quod tamen absit) inducerentur. Unde inferendum censeo ipsa talia facere non posse. Praeterea ex fide habemus solum Deum stellarum et elementorum esse gubernatorem, qui legem pati sidera iubet et qui, iuxta Boetium in libro de consolatione, perpetua mundum ratione gubernat, stabilisque manens dat cuncta moveri. Quomodo igitur mulieres lamiae adiutorio daemonum illum summum motorem, qui certa ratione cuncta gubernat, in huiusmodi suo motu impedire et in alium motum dirigere possent.

CONRADUS - Ponderanda quidem est magni Principis ratio, sed non minus ponderandum est illud quod Exod. c. 7. dicitur. Nam quamvis Moyses ante faciem Pharaonis regis Aegypti multa signa et prodigia fecisset, nihilominus malefici similiter effecerunt, qui incantationibus suis aquam in sanguinem verterunt et ranas super terram produxerunt. Ecce igitur ex Sacra Scriptura Veteris Testamenti claret, quod malefici adiutorio daemonum aquas turbarunt, quia eas in sanguinem verterunt, et agros praediaque ranis confuderunt.

(Ulrici Molitoris Tractatus utilis et necessarius, per viam dialogi, de Pythonicis mulieribus, in tomo secundo Mallei Maleficarum, Lugduni 1669 (prima editio 1489).

¶ [...sequetur...]

<sup>1</sup> Musée de la Sorcellerie, La Jonchère, Concessault - 18410 Blancafourt.

emissionibus monstrarent. Sermo tamen Latinus vivus ab eis tantum monstratus est ut nonnullorum oblectamentum sed numquam apparuit ut lingua idonea ad commercium inter gentes. Scholarum inspectores, qui sunt creaturae politicae, magistros non solum linguam Latinam modo vivido docere sed etiam quamdiu viguerit ostendere vetant; lingua Latina iussu regentium in finibus antiquitatis includitur.

\*  
\* \*

Hic aliquid mihi interponendum est.

\*  
\* \*

Exstat organizatio sustentata a 29 rebus publicis, quarum lingua officialis vel nationalis est Romanica. Quinque habet nomina: "Unión Latina", "Union Latine", "Unione Latina", "Uniao Latin", "Uniunea Latina", e quo iam patet eam omnibus sermonibus vernaculis favere velle, dum originem habeant Latinam.

Hac in re nihil mali, si tamen linguam originalem Latinam etiam fovere vellent. Et hoc re vera quodammodo volunt. De momento linguae Latinae et necessitate eius institutionis iam complures conventus instituerunt; novissimus Bruxellis factus est die 28 mensis Aprilis huius anni in oeco gothicō curiae Bruxellensis. Sed hic iterum occurrit vetitum politicum: moderatores dicunt se Latinitatem magni aestimare, sed statim adiungunt: "scopus noster non est sermonem Latinum ad communicandum adhibere".

De qua recusatione exemplum in conventu Bruxellensi habuimus. Nam Cletus Pavanetto, vir Vaticanus ad loquendum invitatus, vetitus est facere acroasis Latinam (eam in hoc fasciculo divulgamus). E contrario, conventus praeses multum gavisus est quod quaedam oratrix rem suam dialecto Gallaeciae protulit: "Nunc fortasse primum, dixit praeses, sub hac praestanti gothica camera sonant voces Gallaecae!"

Ergo haec organizatio quae sibi nomen Latinum "Unionis Latinae" dare non vult Latinitatem tantum habet pro inani vexillo. Quamquam iam bonum est operam dare ad institutionem Latinam in scholis vivificandam, iterum iterumque monemus linguam Latinam ineluctabiliter relictum iri si deest usus.

\*  
\* \*

Etiam plus stupendum est quod ipsae organizationes ad sermonem Latinum vivum provehendum conditae suum scopum neglegunt. Magni momenti exemplum est Academia linguae litterisque Latinis fovendis, Romae condita triginta fere annis ante, impulsu Vitae Latinae motus. Cuius Academiae pauciores in annos sodales Latinitati vivaे vere favent, ita ut conventus universalis anno 1993 in Belgica habitus primus fuerit ubi liceret acroases sermone vernaculo facere.

Inter hornotinam Academiae sessionem mense Aprili Romae habitam, locus proximi conventus universalis eligendus fuit. Ibi, haud paucis consentientibus, a Roberto Schilling propositum est ut congressus mundialis anni 1997 in Finnia fieret. Thomas Pekkanen, qui aderat, respondit hoc fieri posse, sed ea tantum condicione ut conventus vere Latinus esset, i.e. ut omnes acroases Latine haberentur. Quod praesidi Ussani et consorti eius Luiselli minime placuit, qui omnibus modis conati sunt efficere ut de consilio decederet.

Auctoritatum publicarum Finnicarum sententia est omnes sumptus illius conventus solvere, id quod vix umquam in aliis nationibus factum est. Dicit tamen Thomas Pekkanen se causam Latinitatis vivaे, quam sacram habet, prodere nolle atque se pecunias promissas ministerio potius redditurum esse quam conventus semilatini futurum esse moderatorem. Videbimus quid Academia statuat inter sessionem autumnalem...

\*  
\* \*

Post alterum bellum mundanum nationes Europaeae, dilapsa singularum superbia, paulatim factae sunt vasa communicantia. Nimis pauci linguam Latinam docentes adhuc intellexerunt qualem occasionem sui muneris provehendi hic novus status Europaeus praebet. Quae cum ita sint, de linguae Latinae meritis indefatigabiliter praedicare pergemus.

\*  
\* \*

Iacobus Santer, novus praeses Commissionis Europaeae modo factus, bona institutione Graeca et Latina fructus est, id quod ipse monstrare voluit inserens in orationem suam versum Latinum pernotum: "Timeo Danaos et dona ferentes". Speramus fore ut huius beneficii memor sit et faveat ad minimum culturae classicae.

Gaius LICOPPE